At postquam Genitor longævis canus ab annis
Ad veteres fœlix umbra recessit Avos.
Filius hic binos vixit non amplius annos,
Filiolis auctus forte duobus erat.

HEINRICA HEINRICI COM. MOMPEL. Unica filia; 1. Adavia paterna.

VXor at in viduo duravit casta cubili,
Semper & in natos officiosa fuit.
Quin etiam vim repressit vicitq; furores
Oetingere tuos Zollera celsa tuos.
Natorum natos, & natos rursus ab illis
Ætatis vidit facta senilis anus.
Urbs Böblinga jacet VVürmsus quam præterit amnis
Hic longos fertur consenuisse dies.

Secundus Adavus & Adavia paterna,

Illustriss. Princip. & Dominorum,

Dn. IOANN. FRIDERICI SPONSI, & Dominor. Fratrum Ducum Würtemb.

HEINRICUS, Dux & Tetrarcha Bojor. Regulus Landshut. impubes adhuc utroq; parente orbatus, omnibus præfecturis per tutores abalienatis, ubi ex ephebis excessit, purpuratos suos exauctoravit, egestateque coactus apud Equites Teutonicos, per continuos octo annos adversus Lithuanos ac Polonos stipendia meruit, administratione omni in Sacerdotem quendam hominem tenacem, ac rei familiaris diligentissim. relegata: qui interim dum abfuit ipse, omnia obligata & oppignorata redemit, æs alienum dissolvit, vectigalia restituit. Nono anno feliciter redux Heinricus ducta uxore Austriaca, divitias ingentes comparavit, unde cognomen